

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Beantwortung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung:

Aus einem Brief Ciceros vom Mai 44 v.Ch. an den Konsul Dolabella, seinen früheren Schwiegersohn

Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria satisque ex  
ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non possum  
non confiteri cumulari me maximo gaudio quod vulgo hominum  
opinio socium me ascribat tuis laudibus. neminem conveni -  
5 convenio autem cottidie plurimos - quin omnes, cum te summis  
laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias  
agant. negant enim se dubitare quin tu meis praeceptis et  
consiliis obtemperans praestantissimum te civem et singula-  
rem consulem praebeas. quibus ego quamquam verissime possum  
10 respondere te quae facias tuo iudicio et tua sponte facere  
nec cuiusquam egere consilio, tamen neque plane adsentior,  
ne imminuam tuam laudem si omnis a meis consiliis profecta  
videatur, neque valde nego; sum enim avidior etiam quam satis  
est gloriae. et tamen non alienum est dignitate tua, quod ipsi  
15 Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in  
consiliis capiendis Nestorem, mihi vero gloriosum te iuvenem  
consulem florere laudibus quasi alumnum disciplinae meae.  
L. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim venissem,  
quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen,  
20 ante quam me plane salutavit, 'o mi Cicero' inquit, 'gra-  
tulator tibi cum tantum vales apud Dolabellam quantum si ego  
apud sororis filium (i.e. M. Antonium) valerem, iam salvi  
esse possemus; Dolabellae vero tuo et gratulor et gratias ago,  
quem quidem post te consulem solum possumus vere consulem  
25 dicere'. deinde multa de facto ac de re gesta tua; nihil  
magnificentius, nihil praeclarius actum umquam, nihil rei p.  
salutarius, atque haec una vox omnium est.

A te autem peto ut me hanc quasi falsam hereditatem alienae  
gloriae sinas cernere meque aliqua ex parte in societatem  
30 tuarum laudum venire patiari. quamquam, mi Dolabella - haec  
enim iocatus sum -, libentius omnis meas, si modo sunt aliquae  
meae, laudes ad te transfuderim quam aliquam partem exhauserim  
33 ex tuis.

Anm. zu Zeile 28/29: hereditatem cernere ~ accipere.

## II. Sprachliche Erläuterung:

Das Satzgefüge gratulor --- possemus (Z. 20 - 23) ist syntaktisch  
zu analysieren.